

falsam imputationem homicidii, puta si Pauli vestibus indueretur vel armis uteretur ad homicidium patrandum, si easdem vestes sanguine foedatas in Pauli domum projiceret, etc. (S. Alph. n. 635; Gury. I. n. 669) Exemplum causae per accidens praebet furtum exigui valoris quod avaro causa gravis morbi fiat : cum desit probabilis conexio inter furtum leve gravemque morbum, fur hujus aegritudinis damna compensare non tenetur. (Marres, l. c. nn. 53, 55)

Licet de his generalibus principiis satis conveniat, saepe in praxi difficile est discernere quanam causae *per se*, quanam *occasionales* aut per accidens dicendae sint. Hinc necesse est quasdam speciales quaestiones examinare.

517. QUAER. I. Num restitutionis obligatio oriatur ex actione quae ex se non habet probabilem conexionem cum damno secuto, sed quae ponitur cum *directa intentione* ut illud sequatur.

RESP. Duplex datur sententia probabilis. Prior obligationem affirmat : ita Lugo (disp. 8. n. 73 seqq.), Ball. P. (n. 115), etc. Rationem afferunt, quod " quando accedit intentio determinata illius effectus, et ex ea intentione ponitur causa ut sequatur ille effectus, haec intentio supplet conexionem, et facit quod effectus sit voluntarius operanti : facit enim quod sit vera causa illius. Ad rationem enim causae multum conducit intentio operantis. ", (Lugo, l. c. n. 75) Posterior negat restituendi obligationem : ita Lessius (l. 2. c. 9. n. 113). S. Alph. (n. 636), Lehm. (I. n. 979), Marres (l. c. n. 54), etc. Ratione ista nituntur : intentio illa interna nullatenus mutat actionem externam quae manet quod de se est, mera occasio vel causa per accidens damni. Hinc non externe, sed interne tantum peccabitur contra caritatem vel etiam contra justitiam, ex. gr. desiderando alii in bonis vel fama nocere. *Practice* igitur non constat de obligatione reparandi *actionis consecraria* :

1° Si Petrus furtum aliudve scelus committit, diserte intendens ut Paulus propter hoc delictum poena plectatur, nisi (ut supra dictum est) tales circumstantias ex industria elegerit ut iudices prudenter Paulum delicti auctorem habere debuerint.

2° Si fur modicam summam avaro eripit, intendens ut propter illam jacturam in gravem morbum incidat.

3° Si quis ponit venenum in angulo cubiculi sui aliove loco per quem rarissime transit ipsius inimicus, cupiens ut, si transeat venenumque sumat, moriatur.

QUAER. II. Num teneatur ad restitutionem qui alium pravo exemplo suo ad damnum inferendum impulit.

RESP. Probabilius ad reparandum damnum quod alii intulerunt non tenetur, dummodo absit conspiratio. Ita S. Alph. n. 537, cum sententia communi. Ratio est : exemplum pravum non tendere per se ad alios excitandos ut damnum simile inferant. Hoc autem, ex dictis ad Quaest. 1^{am}, procedit non tantum quando aliquis praevidet mali exempli sui efficaciam, sed etiam quando eam intendit. Quidam, tamen, ut Billuart (de Jure et Just. Diss. 8. a. 13. § 3), contradicunt eo quod exemplum pravum dantes, quod praevideant efficax fore, ponant actionem e qua probabiliter secutura sit injusta damnificatio ab aliis exercenda : siquidem experientia constat homines exemplis moveri magis quam verbis.

§ 3. DE TERTIA CONDICIONE : UT DETUR CULPA THEOLOGICA.

518. NOTIONES. Culpa e qua damnum procedere potest, distinguitur duplex : *theologica* et *juridica*.

Theologica culpa idem sonat ac peccatum formale ; eam igitur remouet quidquid a peccato formali excusat, puta ignorantia, inadvertentia, vis, etc. Nullum ergo damnum theologice culpabile esse potest quin, saltem in confuso, praevisum fuerit.

Juridica culpa consistit in omissione illius diligentiae quam leges civiles in singulis materiis adhiberi jubent. Plerumque intellegitur *mere juridica* seu quam nulla theologica culpa comitetur.

Solent quoque antiquiores AA. culpam juridicam dispescere in *latam*, *levem* et *levissimam*. His tamen verbis non omnes idem intendebant, nec multum refert ea satis obscura distinctio ad forum conscientiae. Cfr. Gousset, Th. Mor. I. n. 925.

ASSERTA. I. Secluso contractu quo quis se obligarit ad compensandum damnum e culpa juridica vel casu fortuito oriundum, non datur obligatio restitutionis, ante sententiam iudicis, nisi e culpa theologica. Nam ubi deest actus humanus, cum plena advertentia et libertate positus, homo damnum inferens potius causis necessariis quam liberis assimilatur ideoque, spectato saltem solo jure naturae, non est obligandus ut de talium actionum sequelis respondeat. Damnum autem quod sine culpa theologica infertur, ex. gr. ab ebrio, amente, distracto, potius infortunio quam injustae damnificationi tribuendum est. (Lehm. I. n. 963)

Reparanda tamen sunt, tamquam indirecte voluntaria, damna in ebrietate illata, quando ipsa ebrietas voluntaria fuit et praevisum damnum, puta quia ebriosus novit se in hoc statu talia nocumenta inferre solere. (n. 187)

II. Etiam ex lege civili, nulla datur obligatio restitutionem faciendi ob culpam *mere* juridicam, ante sententiam a iudice latam. Tam dura enim poenae sibi metipsi imponendae obligatio neque a bono communi exigitur, neque ex intentione legislatoris probatur; praeterea universalis consuetudo leges civiles de restitutione post sententiam iudicis faciendam interpretatur.

III. E culpa *mere* juridica nascitur tamen obligatio restitutionis, etiam in foro conscientiae, postquam per iudicis sententiam imposita est. Talis enim sententia justa est, siquidem leges applicat quae bono communi et publicae securitati utiles, immo et necessariae sunt. Nemini igitur licet occulta compensatione resumere quod, propter damnum juridica culpa illatum, solvere a iudice iussus est. Quandoque etiam caritas obligabit ad compensandum damnum e juridica culpa ortum, antequam sententia a iudice lata sit, nempe si evidens est reparationem e lege civili deberi, laesus vero, sine gravi incommodo, ad iudicem recurrere nequit: ut posset fieri in casu operarii qui e culpa *mere* iudiciali heri vulneratus fuisset et ex lege civili jus ad damni compensationem haberet.

519. QUAER. I. Num, secluso contractu, detur obligatio restituendi ob damnum levi culpa theologica illatum.

RESP. 1^o Si levitas e materiae parvitate oritur, indubium est restitutionem huius parvi damni sub levi faciendam esse.

2^o Si levitas oritur ex imperfectione cognitionis vel libertatis, probabilis nulla datur quidquam restituendi obligatio, etiamsi damnum est grave. (Lugo, disp. 8. n. 57 seqq.; S. Alph. n. 552) Nam talis obligatio nequit imponi sub gravi, siquidem tam leve delictum nequit ortum dare obligationi tam onerosae, quae, licet proprie non sit poena, tamen rationem poenae imitatur; neque sub levi imponi potest, eo quod talis obligatio cum materia gravi proportionem non habet ita ut e rerum natura oriri queat, quamvis, ob positivam voluntatem legislatoris, possit materia gravis sub levi obligare. Attamen AA. magni nominis, ut Molina, Laymann, etc., docent restitutionem faciendam esse pro culpae proportionem: unde levis pars damni sub levi reparanda esset. Sed, saltem in praxi, haec obligatio non est urgenda: quia domini laesi de reparatione tam exigua plerumque non sunt solliciti. Insuper, juxta opinionem valde communem, e culpa imperfecta ne levem quidem materiam restituendi obligatio oritur, eo quod sequelae talis actionis potius casui fortuito quam homini agenti adscribendae sunt. (Lehm. I. n. 966)

QUAER. II. Num teneatur ad restitutionem sub gravi qui, per plures culpas veniales plene deliberatas, tandem grave damnum intulit.

RESP. 1^o Quando parva illa damna eidem personae illata sunt, nec magnum intervallum inter ea intercessit, videtur exurgere gravis obligatio ex quo grave illud damnum illatum advertitur. Nam ubi completa est materia gravis, dominus censendus est graviter invitus quominus sibi non restituatur materia objective gravis, ac proinde qui injuste retinet plures illas materias leves eidem domino debitas, scienter complet retentionem injustam materiae gravis. Ita communissima sententia. (Marres, l. 2. n. 66) Attamen plures AA. ut Diana et Viva, quibus adhaeret Lehm. (I. n. 968), opinantur restitutionem hanc sub levi tantum obligare: "quia fieri nequivit ut aliquis sine peccato gravi pervenerit ad damnum grave, nisi inculpabilis error sive ignorantia circa valorem totalis damni intercesserit: quod si factum est, de excessu valoris non tenetur." (Lehm. l. c.)

2^o Gravem quoque existimamus exurgere obligationem restituendi si damnificator damnum objective grave intulit, quamvis leviter tantum peccaverit, quia errore invincibili existimavit majorem quantitatem ad grave peccatum requiri, puta ob maximas damnificati divitias. Valet enim eadem ratio. Excipi tamen potest cum Lehm. (n. 967) casus quo, ob nimiam disproportionem inter facultates damnificatoris et damnum passi, nimium incommodum in restitutione foret quam ut reo peccati levis imponeretur.

3^o Si parvae illae damnificationes diversis personis factae sint ita ut nulli grave damnum intulerint, probabilius tantum sub levi haec obligatio urget. Nemo enim in hoc casu graviter invitus esse potest quominus sibi restitutio non fiat. (Marres, l. c.) Urgent quidam gravis obligationis fautores (ut Ball. P. n. 116) paritatem cum eo qui per furta minuta summam gravem a diversis abstulit. Sed ratio haec, e communi securitate et bono deducta (n. 506), minus stringens videtur quando non retinetur summa notabilis injuste acquisita, sed tantum nocua prorsus praeterita reparanda sunt.

520. QUAER. III. Num teneatur ad restitutionem, ante iudicis sententiam, qui, culpa *mere* juridica, damnum intulit rei alienae dum contractus cujusdam, puta depositi, locationis, etc. obligationes non servavit.

RESP. Probabilius per se non tenetur. Nam contractum ineundo in se suscepit illam tantum obligationem quam leges contrahentibus imponunt; leges autem jubent quidem talia damna compensare, sed tantum

post iudicis sententiam. Quare practice posthaberi potest sententia contraria quam multi, praesertim e veteribus DD. (Molina, disp. 205. n. 1; Lessius, l. 2. c. 7. n. 46), tenebant, quia, posita sanctione legis civilis, contrahentes implicite se obligant ad praestandam eam diligentiam quam leges requirunt, ac proinde etiam ad compensanda damna alteri parti oritura ex omissione hujus diligentiae. Sed hujus rationis infirmitas satis patet e sensu supra exposito legum, saltem recentiorum. Per accidens tamen posset talis obligatio adesse, nempe si contrahens diserte se ad damna e culpa mere juridica orta, ante iudicis sententiam, compensanda obligasset. Cum enim liberum ei sit per contractum in se suscipere damna etiam mere fortuita, ut fit in contractu assecurationis, a fortiori se ad damna, e qualicumque negligentia sua oritura, compensanda obligare potest. Cfr. Marres, l. 3. n. 203.

QUAER. IV. Num teneatur ad restitutionem qui, munus aliquod, ex. gr. medici, advocati, confessarii, exercendo, sine culpa theologica aliis nocuit.

RESP. Probabilius non tenetur. (Lugo, disp. 8. n. 90 seqq.; S. Alph. n. 555; Ball. P. n. 120) Per illum enim quasi-contractum, qui suscipiendo talia munera initur, hujusmodi homines non sunt censendi se ad onus tam arduum obligasse ut compensarent damna quae, sine gravi culpa theologica, causare possent. Sufficit enim ut se obligent ad officia haec diligenter obeunda. Immo etiam tam ardua obligatio bono communi adversaretur: quippe quae homines probos a talibus muneribus suscipiendis deterreret.

Attamen cum munera hujusmodi magnam diligentiam natura sua expostulent, facilius negligentia, quae materialiter valde levis videatur, potest fieri gravis ideoque, nisi oblivione aut inadvertentia excusetur, culpam gravem theologiam constituet et ad restituendum obligabit.

QUAER. V. Num teneatur ad restitutionem qui malam voluntatem retractat antequam damnum producat.

RESP. Affirmative. Nam, quando agitur de causa physica damni (ut hic supponimus), voluntatis poenitentia nequit impedire quominus actio praecedens efficaciter damnum producat, ex. gr. ubi quis, igne alienis aedibus injecto, peccatum suum dolet antequam totum aedificium flammis comburatur. Manet ergo jam contracta restitutionis obligatio.

Quid possit retractatio voluntatis ad excusandum a restitutione damni in quod per causam moralem influxus exerceatur, dicitur ubi de cooperatione. (nn. 536, 538)

§ 4. DE DAMNIFICATIONE DUBIA VEL CUM ERRORE PATRATA.

521. I. De damnificatione dubia.

1^o Si, post diligentem inquisitionem, dubium probabile manet num damnum fuerit illatum vel causa injusta posita, communis sententia tenet cum S. Alph. (n. 562) non esse faciendam restitutionem: eo quod facta non sunt praesumenda sed probanda. Sic nihil restituere tenetur qui dubitat num calumnia a se prolata alteri damnum in negotiatione intulerit, vel utrum id quod dixerit vera fuerit calumnia an justa occulti delicti manifestatio.

2^o Si dubium vertitur circa influxum causae in effectum damnosum ex. gr. si constat de damno illato negotiationi et de calumnia, sed dubitatur utrum ex hac an ex alia causa damnum ortum sit, plerique AA. ut Lugo, Lessius, Sanchez, docent restituendum esse: quia standum est praesumptioni quae hic certe adversatur ei qui causam de se aptam ad damnum inferendum injuste posuit. Nihilominus probabilem censet S. Alph. (l. c.) sententiam oppositam, ob principium generale: quod nemo ad restituendum obligatur nisi omnino constet eum fuisse veram causam damni. Attamen S. Doctor hanc sententiam praesertim proponit de causis moralibus, puta consilio vel mandato, in quibus facilius dubitari potest num revera in damnum influxerint. Si enim de causis physicis, ex. gr. vulnere letali, ageretur, raro esset ratio *probabilis* dubitandi num causa hujusmodi in effectum, puta in mortem, influxerit.

3^o Si constat de damno illato et de causa per se efficaci injuste posita, sed dubitatur de damni auctore, iterum utrimque sententia probabilis occurrit. Exemplo sit mors hominis secuta e duobus vulneribus letalibus quae duo viri simul, sine conspiratione tamen, in eum explodentes intulerint, vel damnum illatum marito et filiis legitimis per prolem adulterinam editam ab uxore quae cum duobus viris non suis, copulam, tempore apto, habuerit.

Plerique AA. opinantur in hoc casu restitutionem a singulis damnificatoribus pro parte sua faciendam esse: quia, licet nemo teneatur ad damnum reparandum in dubio num a se illatum sit, hic tamen datur fundamentum obligationis certum: nam, ponendo causam damni per se efficacem, unusquisque una cum aliis causat incertitudinem circa verum damni auctorem. Hanc autem incertitudinem causando, damnum certum inferunt ei qui alias a certo auctore totius damni reparationem postulare potuisset. Cfr. Lehm. I. n. 978. Attamen S. Alph. (n. 657) cum aliis opinatur probabilius nulli restitutionem stricte imponendam esse: quia non constat morali certitudine damnum ab ullo efficaciter illatum esse, Ad rationem autem oppositam respondet: eam rarissime verificari, eo

quod damnum cum aliis sine conspiratione inferentes, ad tale nocumentum fere numquam attendunt ideoque, in foro conscientiae, illud reparare non tenentur.

Quare universe, quotienscumque dubium probabile manet de qualibet condicione ad restitutionis obligationem requisita, saltem probabilis sententia ab ea stricte imponenda excusat.

522. II. De errore in damnificatione.

1° Qui errore invincibili existimat multo minus esse damnum quod infert quam revera sit, probabilius tenetur tantum ad compensandam partem damni quam apprehendit. (S. Alph. n. 613) Ratio est, quod ad restitutionis obligationem requiritur culpa theologica; huic ergo debet respondere obligatio restitutionis. Culpa autem theologica non major est quam quae ex errore invincibili apprehenditur; ideo neque amplior esse potest restituendi obligatio. Excipe tamen (quod saepe continget), si damnificator valorem hunc majorem, saltem in confuso, apprehenderit et nihilominus rem hanc in concreto destruxerit.

2° Potior difficultas occurrit quando erratur circa personam cui damnum infertur, puta si quis, volens pulvere "dynamitico", domum Petri destruere, eundem pulverem apponit domui Pauli eamque destruit, vel si quis, intendens Petrum occidere, ex errore in Paulum explodit. Quae de re haec videntur tenenda:

a) Certe restituendum est quando ratio mali inferendi non desumitur e persona, sed aliunde, ita ut error fuerit mere concomitans, ex. gr. si quis sacerdotem ex odio religionis occidere volens, ferit Paulum sacerdotem quem putat esse Petrum pariter sacerdotem.

b) Certe restituendum est, ubi cura sufficiens adhibita non est ad errorem vitandum; quia sic damnificator saltem confuse advertit se alii cuiuscumque damnum inferre posse, et nihilominus absolute rem destruxit vel hominem occidit.

c) Quando damnificator erat animo determinatus ad nocendum tantum uni personae, cui revera non nocuit, et invincibilem errorem admisit, duplex datur sententia probabilis. Sane, inspectis tantum rationibus, probabilior videtur ea quae etiam tum ad restitutionem obligat: nam damnificator injuste, efficaciter et cum culpa theologica damnum intulit: error autem ille circa personam non videtur afficere rei substantiam. Ita Ball. P. (n. 249 seqq.); Lehm. (I. n. 977); Marres (I. 2. n. 68), etc. Attamen saltem extrinseca probabilitas agnoscenda est sententiae quae in hoc casu a restitutione facienda excusat, quia ad hanc obligationem inducendam requiritur ut actio sit formaliter injuriosa in eum qui revera laeditur: hic autem actio damnosa, erga eum qui revera detrimentum patitur, materialem tantum injuriam continet. Ita Lugo, (disp. 17. n. 77); S. Alph. (n. 628 seqq.); D'Annib. (II. n. 232).

Hic casus implexus confundendus non est cum casu damni quod mere per accidens ex actione peccaminosa vel etiam injusta oriatur, ex. gr. si quis, volens occidere Titium inimicum, globulo ignito ferit Sempronium quem adesse minime adverterat. (Gury, I. n. 663) In hoc enim casu restitutionem non esse faciendam satis convenit.

3° Quando damnificator e duabus rebus ad eundem dominum pertinentibus unam vult destruere, alteram vero per errorem de facto destruit, videtur obligandus ad restituendum pro re quae minoris est valoris. Exemplo sit qui, volens capram Petri globo trajicere, equum ejus trajicit et occidit. Ratio est, ut ait D'Annib. (I. c. nota 13), quia tunc injuria tum formalis, tum materialis in eundem dominum cadit: injuria enim proprie domino, non rebus ipsis infertur. Contradiciunt tamen quidam, ut Gury (n. 448), quia hoc damnum dici potest prorsus per accidens evenisse: nec prava intentio eidem domino nocendi facit ut rei prorsus ignoratae damnum voluntarium fiat. Sed haec ratio parum probabilis videtur: nam verum manet, saltem quoad valorem in quo damnificari intendebatur, nihil deesse ex requisitis ad restitutionem urgendam.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE QUAE ORITUR EX RE ACCEPTA.

§ I. PRINCIPIA GENERALIA.

523. Praecipua axiomata quae in hoc argumento adhiberi solent, sunt sequentia:

1^{um} *Res clamat ad dominum*. Sensus est rem quae ad aliquem, jure proprietatis, pertinet, servare ubique hanc connexionem qua destinatur ut in ejus utilitatem adhibeatur, ac proinde semper competere domino jus ut eam iterum apprehendat, ei vero qui eam detinet incumbere obligationem ut eam domino reddat. Videndum tamen num forte, per praescriptionem vel similem legis civilis dispositionem, vinculum inter rem et pristinum dominum jam abruptum fuerit. Cfr. dicta n. 489 seqq.

2^{um} *Res fructificat domino*. Cfr. dicta n. 487. Hoc tamen axioma nequit extendi ad ea quae dicuntur quidem fructus industriales, sed hoc fructuum nomine improprie tantum designantur, cum in iis obtinendis res minimam partem habeat, ex. gr. salarium sartoris qui acu alieno vestes confecit.